Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26261
Copyright: Admont, Benediktinerstift

118

usq; ad occidentem · ut accipias indulgentiam · Dimitte
inimico tuo · et dimittetur tibi · indulge · et indulgetur tibi ·
da · et dabitur tibi · Nihil autem extra te querit ; Ad te ipsum et
ad conscientiam tuam te dirigit deus ; Inde enim posuit quod
requirit · Non enim medicamenta uulneribus tuis longe opus
habes inquirere · peccatorum tuorum indulgentiam si uis intus
in cellario cordis poteris tui inuenire · Sed dicis ; Tanta
mala me inimicus meus conpulit sustinere · ut eum nulla
possim ratione diligere ; Attendis quod tibi fecerit homo ·
et non attendis quod tu feceris deo ; Si conscientiam tuam dili-
genter discutitis et inquiris · sine ulla conpensatione mai-
ora tu peccata conmisisti in deum · quam in te conmiserit
homo · Et qua fronte uis ut tibi deus dignetur dimittere
multum · quod non uis dimittere paruum · Sed hec que superius diximus
spiritalia medicamenta sicut deo propiciante consuestis libenter
accipitis · et in erario sancte conscientie uestre reconditum di-
ligentissime custoditis · auxiliante domino uenena diabo-
li non timebitis · et per odium uel iracundiam · aut nunquam uobis
animarum uulnera ingerentur · aut si forte subrepserint ·
per caritatem cito ad pristinam salutem reuocantur ;

De meritis beati Iohannis episcopi.

Quis sanctorum merita religiosa caritate
miratur · quique iustorum gloriam frequenti laude
colloquitur · eorum mores sanctos atque iustitiam imi-
tetur · quam qui delectat sancti alicuius meri[illegible]tum

De meritis sermo b. Iohannis episcopi.